



pretlosVs  
In ConspeCtV DoMInI  
oblVs,




ILLUSTRISSIMI DOMINI,  
DOMINI COMITIS  
STEPHANI CSÁKI  
DE KERESZT-SZEGH;

Perpetui Terræ Scepusiensis, In-  
clyti Comitatus Kolosiensis Supremi Comitis;  
Sacrae Cæsareæ, Regiæq, Catholicæ Ma-  
jestatis Consilarii ; &c.

*A quodam Societatis JESU Panegyricâ dictione  
celebratus ;*

Claudiopoli , - exeunte Mense Junio  
Pridie Kalend. Julias.







O R A T I O.



Inauspicatum eventum ! O nunquam satis deplorandum tantæ vicissitudinis argumentum ! ergone post facta immortalia , mortales posuit exuvias , Perpetuus Terræ Scepusiensis Comes, Supremus Comitatus Kolosiensis Præfectus, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Catholica Majestatis Consiliarius, Magnas Transylvania, Heros gentis gloriosissimæ, Sidus Inclytæ Familiæ, Illustrissimus Dominus Doñus Comes STEPHANUS CSAKI de Kerekt-kegh ? Ergone Heroum quoque animæ extingvuntur ? siccine Patriæ soles occidunt ? quomodo mori poterat mori nescia fortitudo ? Sic est, AA OO: & punctum honoris vehit lineam mortis. Ergo mortuus est Illustrissimus Comes STEPHANUS CSAKI ? ô invida tanto Nomini Fortuna ! ô paricida Mors ! quæ vix obductas nuper ferali rursus catastrophe totius Provinciæ renovas cicatrices. Et quid aliud præstolari amplius poteramus, & ardentissimis præstolabamur votis ? quàm post everâ dominantis Libitinæ imperia, subactas vires immensas, fugatas tot adversantium morborum phalanges, post dissipatas circumvolitantium jaculorum mortiferas nubes, sinè obscuriori nube diem serenum, sinè eclipsi lunam, sinè caligine astorum cursum patrio in orbe perennaturum. Sed ô caduca mortalium vota, & mille ludibrii obnoxias spes ! quàm inopinato casu spes nostræ succiduntur : heu quomodo paulisper intermissus dolor recrudescit ! dum eum, quem viventem sine lætitia videre non poteramus ; ingenti scœnore lachrymarum mortuum, ac jacentem in hoc Mausoleo intuemur. Hæc merces Mortis est : angusta capita angustam in scrobem compingit ; Imperatores sine Imperiis, Reges sine Urbibus, Divites sine auro, tripalmari includit ergastulo ; Magnates à Palatiis in urnam præcipitat sepulchralem. Mortuus est Illustrissimus Comes STEPHANUS CSAKI : non dubito, ingemiscis ad tanti Magnatis occasum Patria afflicta septem decorata verticibus Transylvania : hoc quippe ad summum infelicitatis tuæ cumulum deerat : ut post lætuosa tot millium funera, post tot fame enectorum emaciata busta, ipsam quoque tanti Magnatis tui funestam stragem aspicias. Hoc adhuc supererat : ut post inclinatos sub imperio

perio Libitinæ septem Colles, pretiosum tanti Atlantis tui caput prostratum intuearis. Hoc unum tandem, ad renovandum vulnus tuum, & iustissimi doloris tui inenavigabile illud lachrymarum pelagus deerat: ut tanti Herois tui, in hoc lugubri theatro extensum corpus, ingemiscas. Grandia sunt hæc, AA. OO: nec exiguis deslenda lachrymis incumbunt damna, dum occumbunt magni Heroës. Lugete ergo communem Patriæ, & Illustrissimæ Familiæ jacturam; fluant è sæcundis maxime patriorum oculorum fontibus flebiles rivuli; dignum est: ut mutuo etiam lachrymarum imbre irrigetis; septem Colles lamentis & fletibus prosequantur; penetralia multorum gemitibus compleantur. Mortuus est Illustrissimus Comes STEPHANUS CSAKI: magnitudinem jacturæ pensa ex Nomine, & singultibus quis quis es, si non planctibus prosequere: in quo crudelis Mors omnem furoris sui acerbiter vindicavit, & exacerbatum nuper tot inflictis fatalibus plagis, Cor Patriæ afflictissimæ fauciavit. Mortuus est Illustrissimus Comes STEPHANUS CSAKI: & adhuc lachrymas tenes dolor? qui triumphales plausus merebatur, nec planctibus Illustrissimos illius Manes dignaberis? feralem hanc pompam, nec funebri lamentatione deplorabis? materies hæc certè apta est; ad exciendâ omnium flumina lachrymarum. Sed jam video omnium vestrum ora, atque oculos in mœrorem, & lachrymas esse conversos. Sinite igitur, AA mœstissimi: ut tanti doloris, & amaroris agam bajulum, & parentale Illustrissimis Manibus pendam tributum. Dissipate interim mœroris nebulas, abstergite oculos, temperate à lachrymis, quoad tenuis Eloquentiæ meæ quadrigis Illustrissimum Heroëm erectum spectandum vobis exhibeam: ut quilibet Heroicarum ejus virtutum (quas in comitiva Reginæ Prudentiæ prosequar) capiat monumentum. Non enim satis parentatur Heroibus, si cum Heroib<sup>9</sup> virtutes Heroicæ eodem sepulchro tumulentur. Soles quippe dum occidunt, coruscant, & videri tantum desinunt, non lucere. Quocirca, & si pro dignitate tanti Herois & merito perorare minimè possim, & vestræ AA satisfactorius expectationi succumbere omnino debeam: id unum nihilominus Orator indignus à Vobis postulo, ut benignis auribus, Illustrissimarum Umbrarum panegyristen auscultate.

Atque ut inde Orationis meæ sumam initium, unde prima gloriæ Illustrissimi Domini Comitæ decora promanarunt: age parentalis dolor, & gentilitiam imprimis tanti Herois (quem Genus, & Virtus Heroëm fecere) gloriam perscrutare. Non enim facilius laudes ejus adumbrabis, quàm si ab avitis Majorum imaginibus (quibus optimè coloratur

tur

tur Panegyris) ordiaris. Age, inquam, parentalis dolor, & cunctabundam inter pectoris angustias Eloquentiam, in evoluta pridem sæcula (in quibus æternum perennatura Csákianæ Familiæ Lumina spectare licet) patere proficisci. Age tandem parentalis dolor, & diffractis in apertum lupatis erumpe: ac ubi à tam Nobili, & Inclyta stirpe tam nobilem, tam fructuosam, tam auream Palmam, nè dicam radicem recisam, & avulsam noveris, illachrymare. Verùm qui potest conceptus ex tam funesta strage dolor, ex tam luctuoso interitu enatus mœror, ob immensam vim (quâ pectus premit) è lamētantis euripo cordis eluctari? nequit enim non esse luctuosum eos exstingvi, & inauspicato fato eripi, quibus tam splendide nasci contigit: tanto quippe luctuosior est Hesperus, quanto Phosphorus erat serenior; eò tristior afficit occasus, quo serenior ortus recreabat. Audendū tamen est: & quod cœpimus iter prosequendū. Lubeat igitur Illustrissimum Csákiani Stemmatis splendorem commemorare. Quod si astrum dixerò: fuit à tot sæculis clarissimum, tot sideribus, quot Illustrissimis Heroibus Apostolicum Regnum Hungariæ, & Inclytum Transylvaniae Principatum, illustrabat. Crecebat jam indè semper Csákianæ Propaginis Arbor in Palmas, quo secundo excita è Scythia classico, ac lituis asveta, jurata Marti capita, martiali imbuta spiritu pectora, Hungari, vocaliori in Pannoniam evocati tubâ, sub septem Nobilissimorum, æquè, ac fortissimorum Ducum, imperio emigrarunt. Szabóles quippe Dux, & Heros Illustrissimus, septem illorum Ducum gloriosissimus: CSÁK Nomine nuncupatum, haud ab similem Patri filium genuit, qui propaginem Illustrissimæ Csákianæ Familiæ initiavit. Jam verò quis nescit: ex eorum sanguine in Palæstra literaria Tullios, ac Demosthenes? in Martis arēna Hectores, & Achilles? in Areopago Catores? in Ara Numinum Numas? & quàm plurimos sago, togæque Heroës celeberrimos, successivis sæculis procreatos? Sed consultò eos prætermitto: deliberatum quippe mihi est; ut dubium vobis relinquam: Utrum Nobilissimum Regnum Hungariæ, & Inclytus Transylvaniae Principatus, majori fuerint Heroibus Csákianis splendori: an verò Hi majori Regna præfata luce, ac splendore illustrarint? statuatis. Sileo igitur Csákiana è Stirpe insignem Togâ Heroem NICOLAUM CSAKI: qui Añò 1424 sub Sigismundo Cæsare, & Rege Hungariæ Vaivoda Regni Transylvaniae factus, virtute insigni, prudentiâ singulari, fortitudine animi eximiâ, clavum Regni felicissimè gubernabat Sileo MICHAELEM CSAKI: Joannis Sigismundi Zapolya Principis Transylvaniae Cancellarium. Sileo DIONYSIUM CSAKI, sub Prin-

eipe Christophoro Bathorio ejusdem Consiliarium. Sileo fulmen belli STEPHANUM, exercituū Principis Transylvaniae Sigismundi Bathori Supremum Generalem. Alterum item STEPHANUM, Curiae Regiae Regni Hungariae Sapientissimum Judicem: quorum immortalia pro DEO, & Patriae emolumento suscepta, & laudabiliter coronata facinora, centum licet facundus lingvis, petitus Romae, aut è Græcia Orator non satis condignè laudaverit. Unicus sufficeret: alterum fulmen belli; defuncti Illustrissimi Comitum genitor LADISLAUS: qui verè Laudis laus, & omnium adorea Laudum Familiæque gloria existit; ubi meritis amplissimis, tot ab hoste reportatis triumphis Generalis bellicosissimus, ferri in campo, domi ingenii acie Illustrissimæ suæ Familiæ splendorem illustravit. Hinc meritò scutum: quo hæc Illustrissima Familia insignita est: eidem Familiæ obtigisse videtur: in quo caput odrysum, bellicam Heroum Csákiorum fortitudinem, syrma orientale, quo tectum est: Sagum aut Togam (: quibus semper claruere CSÁKY:) denotent. Superfedeo horum omnium, & sexcentorum aliorum Heroum laudibus, nè à scopo meo longiùs videar aberrare. Unum filere nec possum, nec debeo: qui inter has Generis quasi stellas, micat adhuc, velut inter ignes luna minores: à quo non minùs Patria derivat luminis, quàm ab astorum Principe minora sidera serenentur. Quis ille, AA. OO? dicam libenter. Eminentissimus S. R. E. Præsbyter Cardinalis; Ecclesiarum Colocensis, & Bachiensis Canonice unitarum Archi-Episcopus; Purpuratus Orthodoxæ fidei testis; Regni Parthenopæi Magnas. EMERICUS CSÁKI: cujus in DEUM & Cœlites pietatem, merita in Patriam, clementiam in subditos, munificentiam erga egenos, panegyrici extollere adorsus Orator, tantarum sub mole laudum fatigatus succumbat, est necesse. Et certè: quis tot, ac tantorum Heroum cedro digna opera, eruditò licet calamò, valeat depingere? quis tam Illustrem Familiæ Csákianæ splendorem ad dignitatem recensere? quæ pridem terrenæ metas gloriæ effugit: cœlo invec̄ta perennat, æternumque perennabit in S. MAURITIO CSÁKI: Cujus sanctitatem, summus in terris Christi Vicarius non suspexit modò: verum etiam utriusque Orthodoxi Orbis venerationi publicè proposuit: dum eum potestate Vicariæ, & Apostolicæ in Sanctorum numerum retulit, & cœlo auctoravit. Hic profectò attollere se deberet Eloquentia: ut quam magnitudinem huic Profapiæ in S. MAURITIO cœlum conciliavit, aptis grandibusque verbis assequatur. Sed præstat tacitò silentio præterire, quàm ad dignitatè non esse ferre; præstat mihi (: cujus gloria est in excelsis:) ejus virtutes, vitæ sanctimoniam, & gloriam in ter-

ris, la-

ris, labia pressus, venerari. Hujus quippè Orationis quantum ad dignitatem, & splendorem familiæ, difficilius esset exitum, quàm principium invenire. Crescit adhuc Illustrissima hæc Prosapia in decus Hungariæ, & Transylvaniæ, in dies: & quia rapitur excellens indoles in similitudinem suorum, profert Heroës: sive ad tractanda domi negotia delphicos Oratores; sive ad propellendos è Patriæ finibus hostes, Hunniades. Verbo: quod de Silva Dodonæa fabulatur antiquitas: ex qua non nisi Deorum, ac Principum insignia, Ducum clavæ, Victorum trophæa condebantur: ex hac Illustrissima, & antiquissima Familia, non nisi terrestres Deos; plurimarum palmarum Victores, pugiles fortissimos; procreari. Novit Csákiorum Familiam Ister, & in ejus præconia plene decurrit alveo: fama illius ad cæreulos Agathyrfos penetravit: dictum satis. Sed, proh dolor! quid semina occultis tractibus à priscis proavis reperta profunt? fallimur; immane quantum fallimur: quotquot generis nobilitatem, neglecto virtutum tramite magnis ampullis jactamus: ubi evanuisse omnes, animis nostris intuemur. Et nunquid umbra erant, & præterierunt? fumus erant, & evanuerunt? ultimo eos fortuna triumphavit. Habetis in quem oculos vestros defigatis, AA OO. Jacet heu extinctus, jacet! Sidus Tantæ Familiæ, Illustrissimus Dominus Comes STEPHANUS CSAKI: unica votorum meorum cynosura. Ah utinam liceret remotò tantisper sspariò, & effractò Libitinæ jure, è sandapila eum intueri; qui hoc nobis reliquit: ut virtutum suarum monumenta, non ad tuam gloriam (quæ immortalis est) sed ad Patriæ hujus emolumentum conferantur. Fingite vos eum intueri, AA OO: ponite vobis ob oculos; quantas in eum liberalior Fortuna congesserat opes; quas ipsa Illustrissimi Comitis præsentia clariùs reteget: quàm mea Oratio vel leviter est adumbraturâ. Majores Hic fortitus, quos tales decerent posterî, fulgorem Natalium, claritudine facinorum; ac Virtutum genuerunt. Et quis, amabò: ab aquilis columbas generati autumabit? fortes creantur fortibus: nec imbellem unquam aquilæ columbam procrearunt. Non igitur ab Illustrissimis Progenitoribus degeneravit: imò vetustatis suæ Illustrè gloriam, & Familiæ suæ veluti clarissimi sideris agnoscens favillam, æmulo passu; Majorum vestigia sequebatur. Ut qui ab Illustrissimo Progenitore, & Patre LADISLAO regnandi, ab Illustrissima, ac piensissima Matre Catharina, Rosalia Kálnoki, vivendi artem est edoctus. Novistis eum, AA OO: non enim ignotis loquor; novistis: & non sine admiratione suspexistis, exporrectam in eo frontis serenitatem; majestatem capitis; oculorum svavitatem; dignitatem

oris;

26.

oris; vultus reidentis amœnitatem. Ad hæc proceritas corporis ad mensuram Atlantæam composita, excelsam ejus mentem denotabat; frons spatiosa, prudentiam singularem; grande oculorum supercilium, magnanimitatem spirabat; humeri prægrandes, Patriæ ruentis succollandæ æquales; pectus, ut magnanimæ animæ domicilium, ita amplum, & augmentum; pedibus, ut profundiora nobis per Heroïcarum virtutum semitam signarent vestigia, tanta quæ tantum Heroëm decebat gravitas; innitebatur. Mirabatur certè natura ipsa vires suas, suæque potentia magnitudinem in eo, quasi in Luciani speculo contemplantur. Sed heu quàm dolosus Fortunæ calculus! quod dum dico: attonitus horret animus, præcordia pavent, gelidus exanimat artus cruor. Ubi est? ubi est vultus amabilis illa honestas? ubi majestas verticis? ubi affusa in oculis, & emicans in ore toto gratia? ubi illa exporrectæ frontis serenitas? ubi suavitas oculorum? ubi dignitas oris? ecce jam nox est in oculis; pallor in ore; macies in vultu; cor illud generosissimi sanguinis fons, ut pumex, exaruit; prægrandes humeri conciderunt; collapsa præcordia, instar putrefactæ spongiæ, marcuerunt. Macellum diceres, unde esurientes colubri, & cætera insecta sumant opsonium, & epulentur. Sic est: sub oris formosi, colorisque gratia mephitim gestamus; removebit hanc nostram cortinam hodie, vel cras Mors, & labem occultatam inspecta cadaveris cimmelia exhibebunt. Ite jam crispate refugos à fronte crines, ludentem à tergo concolorem auro cæsariem ostentate, Diademate frontem ambite, fertò gemmeò verticem gravate. Ite, ite: incumbite favoniis blandientibus audacter, & aurâ, dum lubet, & arridet utramini. Ite, ite: quicumque felicitatem vestram in caducis corporis bonis collocatis, & Icaro duce illuc evehamini, unde omnes longè despiciatis: hic est infustus Fortunæ apex, evehit in altum Sors: ut lapsu graviore præcipitet Mors, in sepulchrum. Sic omnia Fortunæ dominantis imperio subjacent, præter virtutem. Quocirca avocata ab eximia Corporis Illustrissimi Comitum symetria cogitationem, ad interiora mentis & virtutum encomia (: quæ prorsus ab usitata conditione hominum, Illustrissimum Heroëm exemisse videntur: ) oculos nostros defigamus. Et quis inficiabitur, AA. OO. sub illa humani corporis cortina excelsam mentem latuisse, & prudentiam singularem cui pro foribus pulcherrima modestia, roseus in ore pudor, simplicitas oculis, clementia in fronte, Majestas in humeris, candor in pectore excubabant? Nemo igitur virtutem Dominam, dico Prudentiam, domi fuisse negaverit. Prudentiam dico: quæ una omnium virtutum nutrix est, & animæ lucerna, à qua omnes Virtutes pen-

res pendent, & illius ductu arbitriòque operantur. Non contradixerò senium Prudentiæ sedem esse, & in senibus consilia residere: tanta nihilominus jam ab ineunte ætate, in Illustrissimo Comite semper elucebat Prudentia: ut nisi ætas aliū exhibuisset, veteranū à Prudentia arbitrarentur. Hæc duce futura prospiciebat, præsentia sapienter moderabatur, de præteritis aut tacebat: aut si loquendum erat, candorem animi præferebat. Et vel exinde admirationi esse poterat ejus Prudentia; quòd paucorum fuerit verborum; Harpocrati novit apprimè sacrificare: ut quod Thales Milesius inquit: *pauca verba animi sapientis esse indicium*. Jure sibi meritò vendicavit. Maluit Comes prudentissimus, virtutibus in se expressis loqui; quàm verba non proficientia, fluminis instar profunderè. Hæc igitur lucernâ animæ, rebellantes motus extinxit; hostes ubi non licuit exteros, domesticos peremit; antevertit infortunium; rationis imperium instauravit; verbò: animum ad DEI nutum, ac voluntatem moderabatur. Prudentis quippe animus, tanquam oraculum quoddam est, aut certè mentem divinam habet, quâ cuncta videat, prospiciat, perficiatque. Parùm sinè hac Prudentia valet, animosus Achilles, clypeatus Ajax, domitor orbis Macedo, Hæctor magnanimus, aut insignis scepro Menelaus. Quin imò virtutes ipsæ (quas sub unius Prudentiæ cortice Illustrissimus Comes incluserat) sinè hac virtute diu stabiles esse non possunt: quin omnes dissipentur. Vos ipsi, non dubito, de Illustrissimi Comitis Prudentia testes estis, AA. qui singularem semper in eo suspexistis Prudentiam: & non rarò maturos consilii fructus ex arbore illa decerpistis. Qua pro inde Prudentiâ singulari factum arbitror: ut imperialis quoque Aquilæ oculos in se defigeret, et in maximis (ut ipsi non ignoratis) fluctibus, in quibus tota hæc Patria jactabatur, et multiplici procellarum assultu quassata in ruinas fatiscebat prudentissimus Navarchus, Clavum teneret Kolosiensis Comitatûs. sic foris quoque triumphat, quem domestica Virt<sup>o</sup> coronat: & ubi ad fastigiū præconii crescunt virtutes, crescunt cultores earum gradibus dignitatum. Et si Tullio fides habenda: *Potest Virtus sine præsidio Fortune, quò contendisset, labore & constantiâ pervenire*. Jam verò quàm insignes, quàm Heroicas huic Prudentiæ Virtutes maritaverit, videamus. In suo igitur officio, velut in specula collocatus: dare cuique quod suum esset, omnibus viribus nitebatur. Et profectò tantus in eo fuit zelus justitiæ, tam sanctè jura æquitatis administrabat: ut palmam Arcopago præripere videretur. Novit Comes ju-

fiffimus hanc esse virtutem, quæ magnos, & laudabiles reddit mortales: novit justitiam perpetui Nominis, ac famæ fundamentum esse: novit postremò, justitiâ autoritatem, & fidem comparari, & eas, ut pedisse- quas justitiæ virtutes comitari. Quocirca: Dicem inter, ac Themidem collocatus, hinc strictò justitiæ gladiò formidabilis, hinc bilance ap- pensâ æquabilis, suum cuique justiffimè distribuebat. Quòd si ipse, aut Præfactorum quisquam vel latum ultra justitiæ limites ungvem excessissent: coactis paulò ante obitum in coronam subditis, novus SAMUEL tenaciffimus æquitatis, (a) eos orare, obtestari: num cuius bovem tulerit, si quem exærit fortunis, violaverit injuriâ, ac vexaverit; palàm profiterentur; se se ita voluntate compa- ratum, ut non prius animam Creatori suo, quàm subjectis æquita- tis sit jura redditurus. Collachrymantibus interea universis potius, quàm loqui cupientibus: Oratione ad adstantes Illustriffimos Hære- des conversâ, iterum ac tertiam, cœpit eorum fidem obtestari: committere nolint, ut si quis ampliffimæ hæreditati numus non benè partus adhæresceret, quem lachrymæ subditorum repeterent; non continuò exscinderent. O justitiam cœlestium admiratione dig- niffimam! quæ ut inviolata servaretur, nullis se flecti donis, Illu- striffimus Comes patiebatur; imò ne Aulæ quidem suæ violentiam ullam inferri toleravit: gnarus optimè, vel unico etiam numo, alte- ram æquitatis lancem inclinari. Ideò religioso à se fastu, omnes- donorum illecebras rejecit: dare, quàm accipere, meliùs esse, ar- bitratus. Sed jam ad excellam ejus mentem, & fortitudinem ani- mi, Orationem convertamus. Animum gestabat seipso majorem Illustriffimus Comes STEPHANUS: nec ulli dubia de magni- tudine animi ejus potest esse sententia, utpote: qui semper in ex- celsis Heroum cogitationibus occupabatur. Quem nulli adversita- tum Euri, statione suâ dimovere potuerunt: non blandientium in mundi pelago sirenum moduli enervare; non calamitates ullæ de- primere: quin animum ut palma semper majorem, ac majorem eri- geret: & quòd majora pondera incumberent, eò gloriòsius semper assurgeret, & triumpharet. Sicut aureus in aliis, ita in tolerantia ferreus videbatur. Et si juxta Numam: *Ea sola, & vera forti- tudo existimatur, quæ cupiditatibus animi sui, rationis frenos novit*

(a) 1 Regum 12, v. 3.

*imponere*; hæc ita Illustrissimum Comitem à molliori mortalium genere discernerebat, ut nullis se terri minis, labefactari blanditiis pateretur. Dominabatur appetitui: composuit rebelles animi motus: pro veritate & æquitate stetit immobilis; vel si id non licuisset, paratus fortunam, famam, vitam ipsam, quæ charior dari nequit, immolare. Ut credi potuerit altitudine mentis olympum excedere, utpote, celsior; quàm ut ad eum tela timoris, aut mœroris spicula adventarent. Procul ab eo, quæ Paridem aliquem cincinnatum, & molliter pulchrum decerent: agebat ea semper, quæ galeatum, cristatum, & fortiter decorum decerent Alexandrum. Tanta denique fuit in eo fortitudo animi, & magnanimitas, ut Therfitem quemcunque, sui exempli violentiâ Achillem effecisset. O rarum heroicæ mentis miraculum! raram in animis mortalium magnanimitatem! Ut qui tantâ animi fortitudine præstaret, tantâ nihilominus fuit comitatis, ut par infimis fuisse videretur. Facilis ad eum aditus plebæorum, liberæ quærimoniæ, qui neminem à conspectu, & alloquio suo arcebat, postulara libenter cognoscebat, nihil iusta petentibus denegabat: si quid negare cogebatur, ea tamen utebatur lenitate sermonis, ut eos quoque quibus negabat, æquos à se placatosque dimitteret. Quòd si fortuna per invidiam Comitem eum nasci denegasset: comitas eum proculdubio Comitem effecisset. Et hæc virtute velut aureo torque, Illustrissimus animorum Magnes, sibi mortalium animos devinciebat. Sunt hæc omnia, virtutis Csákianæ magnæ prærogativæ, AA. OO. Me tamen inter omnes Illustrissimi Comitis virtutes, Munificentiam maximè admirari: quæ summum omnium bonorum largitorem æmulatus est: cujus in omnes bona sunt communia, nec ullam vult suæ liberalitatis; ac munificentia exortem. Hæc virtus Heroum propria est: qui divinam in terris bonitatem, & excellentiam propius referunt, atque imitantur. Sciebat Comes munificentissimus, quod inquit Diogenes: *Non divitem, sed divitiis bene utentem esse beatum.* Et quemadmodum magna in eum DEUS immortalis contulit naturæ dona: non minoribus locupletavit fortunæ ornamentis, ex quibus cum aperto corde, apertam quoque suæ munificentia dexteram faceret auxiliatricem. Nec serò in Patronorum leges, & jura venit Illustrissimus Comes STEPHANUS, quia nec rogatus benefi-

ficia largiebatur. Hic se testem sinit minima JESU Societas Dæica: cui quot annis non modicò munificentia suæ donativò succurrebat. Sed tacebo ego: loquantur saxa, & lapides: loquantur binæ cultui divino consecratæ Domus: Jegenyerensis, & Bachiensis; quas ære proprio auxit, firmavit, & stabilivit. Loquantur superiore Anno stipatæ egenorum turmæ, depreßi ærumnis pupilli, desolatæ in calamitatibus viduæ; loquantur Ministri DEI, in quos non modicum laticem, sed oceanum effudit gratiarum. Nunquam tamen Nilus munificentia illius poterat exhauriri: ut qui gloria sibi duceret calamitatibus egenorum, & pauperum subvenire. Sic semper petentium desideria magnis mentibus, gloria sternunt theatrum. Nunquam se liberalitate vinci patiebatur, imò ubi liberalitate certandum erat; Tito gloriam ademisse crederetis. Et quis ferat tanti Mecænatis, nè dicam egenorum Paris jacturam, absque tributo lachrymarum? sunt hæc in laudem Illustrissimi Comitis parva? sunt, fateor: tanto quæ in Auditorio commemorentur, & posteritati transcribantur. Et quid de aliis Illustrissimi Comitis virtutibus dicam? quibus Eloquentia numeris complectar? qui nunquam à recto virtutum tramite exerravit: qui dum viveret, non est captus nardò Veneris, viscò voluptatis, Honoris fumò, ventò vanitatis. Qui tam etsi in tanta libertate viveret, poterat nihilominùs Trajani pugionem, pignus bonæ mentis, in limine Capitolii suspendere; utpote; ejus generosior animus, in virtutis curriculo nunquam claudicavit. Et hinc est: quod eum Prudentia, Justitia, Magnanimitas infractum reddiderint: virtutes tam politicæ, quàm morales coronarint. Hinc factum est: quòd ubi alios excæcat avaritia, enervat libido, extollit jactantia, premit gula, regit invidia, exanimat socordia, captivat peccatum, flagellat mala conscientia; verbò: ubi alii à miseris, & calamitatibus, veluti à tot armatis phalangibus premuntur, cinguntur, & circumvallantur; ibi cymba virtutum Illustrissimi Comitis, in mundi hujus periculoso mari secundò ventò navigabat. O felix navigium! non egebat remis, quod favor Numinis impellebat. Si de singulari pietate, quæ in DEUM, Divosque ferebatur, audire cupitis? ea tanta in eo fuit: ut eum supra hominem evexerit: qui nullum unquam diem ab adolescentia sua, nisi adoratò DEI Numine transigebat: inter ipsos, quibus conflictabatur, dolores, nihil illi priùs

In prius, aut antiquius fuit: quàm Numen colere, ac venerari. In DEO quærebat satietatem, & refrigerium, & reperiebat. Secundùm DEUM plurimùm deferebat honoris sanctissimæ illius Matri, ac Virgini MARIÆ: cujus testaturus amores, ad sacrum ejus Nomen, reverenter caput aperiebat: sique de eadem Virgine immaculata sermo haberetur, detectò capite audiebat. Cuperem ego hinc, AA. OO: ut cor omnium nostrum papyrus, & sanguis atramentum foret; imò hoc dulcissimum nomen MARIA, marmorì pectoris nostri incideretur, vel celte in hoc silice insculperetur: prout cordi suo insculperat Illustrissimus Comes STEPHANUS, & cultum illius ubi ubi poterat, promovebat. Harum igitur virtutum pretiò amorem cœlituù & mortalium nundinabatur. Et tamen, pro facinus, æterno insculpendum colosso! tot ac tantis virtutibus instructus, agnovit gloriæ trepidantis vertiginem, & ided didicit Natalium splendorem, Illustres Titulos, dignitates amplissimas, imò virtutes ipsas subter humilitatis cineres funerare. Indutus ergò tot virtutum ancilibus; pro meta cœlum, pro bravio gloriàm habuit immortalem, mœnia cœlestis præsidii expugnaturus. Pergè quo te internì spiritus impulsus agit, Comes Illustrissime! sequar præeuntem. tamen non assequar laudibus. Tot machinas construxit, quot Tempora are liberali stabilivit: tot balistas & catapultas intendit, quot Eleemosynas in pauperes dispersit; tot arietes impegit, quot preces pientissimè ad superos effudit; & sic, ut benè speramus, sacra illa mœnia expugnavit. O Te felicem, ac fortunatum Athletam; Comes Illustrissime! qui in virtutum curriculo sic currere prudenter statuisti, ut inter plurimos gloriæ immortalis, & honoris avidissimos, bravium reportares: contentus tandiu vixisse, quantum ad immortalem gloriàm satis esset. Sed ô vulnus! ô lachrymæ! iterum: *Infandum Libitina jubet renovare dolorem.* Vivere desit Illustrissimus Comes STEPHANUS CSAKI. Erravi, AA. OO. vivere non desit, sed incepit; erigitur in sublimè, qui sic cadit: oritur, qui sic occidit, ipsâ denique morte redditur immortalis. Mortalis enim vitæ sepulchrum, cunæ sunt vitæ immortalis. Vivit ergò Illustrissimus Comes: vivit in beata æternitate in cœlis; vivit famâ & virtutibus apud homines in terris, utrobique immortalis; utpote: cujus virtutes, famâ, gloria, nequeunt humari. Ut quid ergò ta-

es Comes Illustrissime? taces quidem: sed tacitò silentiò clamas, satis locutus: etiam cum loqui necessum est, obmutescis. Sed quid frustra vulnere vulnus addo: dum solamen ferre adlaboro. Quid enim funestus iste apparatus? quid luctuosæ hujus caliginis horror? quid ferali majestate erectum Mausoleum? quid faces circumquaque ardentes? nisi jacturam tanti Herois, tacitâ deplorant lamentatione. Et certè dies Veneris, duodecima nempe Mensis Aprilis, toti Transylvaniae, sed plurimum Illustrissimæ Familiæ, luctuosâ constellatione Dacico in horizonte illuxit: fatalis tamen ille phosphorus, felicibus Comitum Illustrissimi satis debebatur: ut eo die, quo Salvator perditum orbem, è crucis feretro animam Patri suo reddidit: ille quoque suam Numini immolaret: & mortale relinquens corpus, triumphans ad superos evolare. Cum ergò teste vel ipsò Democritò: *Inevitabilis sit omnibus fati necessitas: nefas est deslere, quod nefas est devitare.* Ad hujus igitur bustum quis quis es, ne fleveris: nihil in vita egit dolendum. Nefas est eum deslere, qui pridem in corde suo templum instruxerat; in cujus postibus spartanorum illud inscriptum: Morti matri perennis felicitatis. Vixit satis: quia non annos, sed triumphos; non quidem contra gentes barbaras, sed contra mundum, carnem, & dæmonem fortunatior Alexander numeravit; metiebatur se non ætate, sed perennitate. Impresum cordi habuit: quò propinquiores morti existimus, eò nos sanctiores esse oportere: Ideò omnem adhibuit operam, ut quàm piissimè moreretur. Non jam miror ego, quòd ubi alii cum Pericle metuunt umbræ suæ occurrere: ibi Illustrissimus Comes, mortem felicissimò agone, utpote: salutis prius ferculò roboratus, superavit. Illustrissimus igitur Comes STEPHANUS CSAKI: qui Corona fuit in terris, patrios deseruit penates, præparatâ gloriæ immortalis Coronâ fruiturus. Addo & ego Coronidem Orationi: & ad Illustrissimum Comitem ultimum sermonem meum converto. Quiescite magni Manes: quiesce Heros gloriosissime, quiesce Athleta fortissime! non est cur Tibi monumentum erigam, cum illud Tibi, Tu ære perennius, & omni pyramide excelcius jacens, moriensque existi. Surgunt Tibi in monumentum sacra illa rudera, in quibus corpus tuum tumulandum postulasti: quibus si ora paterent & lumina, luctum suum in occasu Tuo testarentur; & lumina in flumina

mina solverentur. Optabant illa magnificò ad fastigium evecta cultu, Te superstite gloriari: Te Patronò munificentissimò splendidius adornari. Sed cum duris parendum sit fati; ambiunt post ipsa fata corpus Tuum, gaudent Tibi esse monumento: in quo posthumà quiete perfruaris. Quiesce igitur Comes Illustrissime, & Sancti MAURITII, cui in terris cognatione sanguinis junctus fuisti, dulcissimà in cœlis fruire societate. Ereptus quidem es ex oculis, at ex mente non evanuisti. Manebit superstes virtus Tua palmaris, & senex memoria meritorum. Quiesce, & qui in hoc mundi theatro gratius felicissimò imperiò dominaberis: in Cœlo lauream virtutum Tuarum adipiscaris. Vos verò AA. OO. eum, quem moribus spectabilem, humanitate affabilem, ab affabilitate amabilem, virtutibus Illustrissimis ornatum in vita suspexistis, pià memorià post fata tenete. Claudite lachrymarum fontes: sat corda biberunt. Tempus est: ut destinato corpus tumulo imponatis, & extremò Illustrissimis Manibus obsequio parentetis!

D I X I



